



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Bvllarii Earvmve Svmmorvm Pontificvm
Constitvtionvm Qvae Ad Commvnem Ecclesiae Vsvm post
volumina Iuris Canonici, vsq[ue] ad Sanctissimum D. N.
D. Pavlvn Papam V. emanarunt**

Quaranta, Stefano

Venetiis, 1619

Casus reseruati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10793

- 4 *Quenam Sortilegia inducant casum reservatum.*
- 5 *Quando per apostasiam Regularis incurrat casum reservatum, vel excommunicationem, & quando neutrum.*
- 6 *Quando Regulares, & moniales dicantur proprietarij.*
- 7 *Quod dicatur iudicium regulare seu legitimum.*
- 8 *Ubi sit falsitas quæ requirantur.*
- 9 *Quæ quantitas in furto constituat peccatum mortale.*
- 10 *Lapsus carnis quæ peccata comprehendat.*
- 11 *Quando percussio non faciat casum reservatum in Regulari.*
- 12 *Aperire literas quando inducat peccatum mortale, & quando non, & in regularibus casum reservatum.*
- 13 *Confessarii privilegiati a quibus absolvere non possint.*
- 14 *Cantela ordinariorum in reservatione casuum.*

CASVS RESERVATI.

PRÆTER Summissas sciendum est quod Casuum reservatio debet fieri ad finem ut populus Christianus huius metu a peccatis atceatur, & a recidiuis præseruetur, & licet sit in episcoporum arbitrio quos velint reservare, expedit tamen ut quo ad fieri potest, sint perpauca, breues, & clari, & observare modum ut infra num. 14. quæ reservatio debet fieri de atrocioribus, & grauioribus criminibus, Concil. Trid. sess. 14. capitu. 7. de quibus per Nauar. cap. 27. num. 259. & infra, & insuper debet ipse prælatus se facilem, & benignum præbere in concedenda facultate Confessariis absoluendi a casibus reservatis, alias si sine causa denegaret, peccaret ratione quam affert Nauar. ex verbis D. Thome in cap. placuit, nu. 119. de pœnit. dist. 6. & si Deus benignus ut quid sacerdos aulterus vult apparere? cap. alligant autem onera 26. q. 7. Hæc tamen facultas hodie omnibus superioribus Regularium est restricta prout sequitur Decretum Sanctiss. D. N. Clementis Papæ viij. super casuum reservatione ab omnibus regularium superioribus observandum.

Sanctiss. D. N. qui iam pridem accurrate perpendit & re ipsa comperit quod reservatio facultatis absoluendi Religiosos penitentes a peccatis quibusdam grauioribus nisi superiores admodum prudenter, ac moderate illa utantur nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientia maculas detegere formidant, adducere posset in æterna damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem.

Ideo ut huic malo Sanctitas sua opportune prospiceret, decreuit, i. ut nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Cōgruit tit. de pœni, & remissio.

- 1 *Veneficia. Incantationes. Sortilegia.*
- 2 *Apostasia a Religione, siue habitu dimisso siue retento, quando eo prouenerit ut extra septa Monasterii seu Conuentus fiat egressio.*
- 3 *Nocturna & furtiua e monasterio seu Conuentu egressio etiam non animo apostatandi facta.*
- 4 *Proprietas contra votum paupertatis quæ sit peccatum mortale.*
- 5 *Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.*

6 Pro-

- 6 Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum factum etiam effectu non sequuto.
 7 Falsificatio manus, aut sigilli officialium Monasterii, aut Conuentus.
 8 Furtum de rebus Monasterii seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.
 9 Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.
 10 Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cuiusque personæ.
 11 Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum a Superioribus, ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientia puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto ordine aut Prouincialis in prouincia matura discussione, & consensu.

Non literas Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab ijs petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numeri maiori vel minori, ique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui a non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis confessarius indicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare penitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis a confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possit.

Atque ita per quoscunque Regularium superiores quicumque illi sint, obseruari mandauit. Non obstant constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusuis concilij etiam generalis, Decretis, nec non consuetudinibus, etiam ab innumerabili tempore obseruatis, aut regulis in generalibus seu prouincialibus capituli editis statutis, & in constitutionibus, etiam Apostolica auctoritate confirmatis Præuilegiis indultis, & concessionibus quibuscunque, quorum tenores hic pro expressis habere voluit, ceterisque in contrariam facientibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum die 26. mensis Maii. 15. 93.

Andreas Sorbolongus Secretar. uisitat.

Sanctitas sua deinceps declarauit, & declarat, ut si huiusmodi regularium confessariis casus alicuius reseruati facultatem petentibus superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice penitentes regulares, etiam non obtenta superiore facultate absolueri. & vide infra in verbo monasteria regularium inter Decreta Clem. 8. in suu S. D. N. D. Pauli. V. Romæ impressa, & ibidem a nobis relata.

Sciendum est etiam quod electio confessariorum approbatorum ab ordinario data regularibus, & monialibus vigore Bullæ cruciatæ, & aliorum indultorum absoluedi a casibus reseruatis non extenditur ad eos confessarios, qui a suis
 Præla-

Prelatis non sunt deputati ut extat clem. 8. declaratio ut infra in verbo Confessor.

ADDITIONO. Quo ad primum casum non est ignorandum sub illis tribus superstitionum speciebus expresse prolatis, & explicitis comprehendendi ceteras omnes species ex identitate, vel maiori parte rationis, quia sunt eiusdem generis, nam quando agitur de salute anime, & de evitando peccato debet fieri extensio etiam iuris penalitatis, *fas*, qui alios citat in *Auth* quas actiones num. 25. C. de sacros. eccles. & potius dicitur inclusio similium peccatorum quam extensio, ut patet ex titulo Codicis qui inscribitur de malef. & mathemat. & ceter. similibus. Est etiam sciendum quod ut ea que attinet ad sortilegia inducant casum reservatum in religiosis, necesse est ut sint peccata mortalia, ex dictis per *Caiet* in eius summula in ver. Diuinitio, & in verb. incantatio.

Circa secundum declara decretum S. Pontificis intelligi debere in vero, & proprio apostata religione, & sic in religioso illo qui expresse, vel, tacite professus deserit religionem quam professus est, sine transitu ad aliam cum animo non redeundi ad suam de quo loquitur titulus de apostatis. D. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. & ibi *Caiet*. *Nauar.* notab. in cons. 1. de apostat. Distat tamen in hoc quando retrocedit a religione habitu dimisso, vel habitu retento, siquidem primo casu incidit etiam in excommunicationem lata sententia. cap. 2. & ibi *Doc. ne cler. vel monach* in 6. in 2. casu quando habitum retinuit, esto quod animum reuertendi non habuerit, neque transeundi ad aliam religionem, licet peccet mortaliter, & incidat in casum reservatum non tamen est excommunicatus, & quid si deserret habitum, sed abscessum, & coopertum ita quod patenter non se exhibeat conspectibus hominum in habitu monachali, an taliter deserens dici possit habitum dimisisse, & per consequens sit inmodatus sententia excommunicationis iuxta. *tex. in d. cap. 2* vide Doctores presertim *Imol.* & *Vitalin.* in clem. 2. super gloss. in verb. extrinseci, de vita, & honest. clericor. *Oldrad.* optime in consil. 184. incip. Pater sancte. num. 12. vsque in finem *Panorm.* in c. Deus qui num. 4. de vita & honest. cler. *Naui.* consil. 14. nu. 4. de regular. in nou.

Secundo declara decretum hoc non habere locum in religioso professore qui in consulto superiore a sua Religione recedit, ut aliam etiam laxiorem intret, quia tunc non diceretur apostata, nec esse excommunicatus, neque esset casus reservatus. *Inn.* communiter receptum in cap. intelleximus in fine de atat. & qualit. quia non deseruit religionem in genere, sed in specie *Abb.* in c. fin. num. 4. de apostat. & in cap. scane num. 6. de regular. *Caiet.* egregie ad D. Thom. 2. 2. q. 12. art. 1. Neque aduersantur. quod si quis ab ordine mendicantium ad aliquam monachalem religionem (Charthusiensium duntaxat excepta) conuolet absque debita licentia sit ipso facto excommunicatus per extrauag. *Martini.* 4. inc. *Viam* arabitiosa sub tit. de reg. inter communes, nam id non est ratione apostasie, sed propter transitum, ut recte aduertunt *Caiet.* loc. prox. cit. & *Naui.* in d. cons. 1. de apost. & dixi absque debita licentia, quia alias non esset excommunicatus licet sit priuatus omni voce actiua, & passiuua in omnibus vicibus cle. 1. & ibi gl. in ver. officij, & *Card.* de reg. & ad plenioram intelligentiam quando deserens religionem reputetur Apostata, & quando non, vide que scribit nouissime *Menoch.* de arb. iud. Cent. 6. casu 546. a num. 28. vsque 46. in quo loco etiam reperies aliquas iustas causas per eum recollectas numero 40. propter quas Regularis professus possit habitum dimittere animo, tamen non deserendi religionem nec habitum ipsum.

N

Quo

Quo ad tertium! quando religiosus vagatur extra monasterium, vel se celat ne inueniri possit, tunc dicitur vagus, & fugitiuus. Pan. & alij in c. fi. de regular. per tex. in l. quis sit fugitiuus. ff. de edilit. edict. delatio autem habitus, vel ne interest tantum quo ad excommunicationis euitationem Oldrad. conf. 202. & neutro modo apostasia incurrit quoties numquam habuerit animum recedendi a religione, nihil vero refert quo minus incidat casum reseruatum sub hoc decreto.

6 Circa quartum! quando monachus dicatur habere proprium, declaratur per Dott. in c. cum ad monasterium, ubi huius materie sedes iacet. de stat. monac. quibus adde tex. in cap. exijt. §. porro de verb. signif. in 6. D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 3. D. Ant. in 3. par. sua sum. tit. 16. c. 1. §. 11. Conc. Trid. sess. 25. de regul. c. 1. & 2. Syluestr. in ver. Religio. 6. nu. 7. Nau. plene, & luculenter in cap. non dicatis nu. 17. & infra 12. q. 1. & in conf. 75. de regular. in antiq. quod est tertium in nou. sub tit. de stat. monac. collocatum, ex quorum dictis facile liquebit quando religiosus peccaret peccatum proprietatis contra votum paupertatis ad hoc ut sic casus reseruat in hoc decreto contentus, & An monialis possit sine peccato mortali lucrum laborum suorum sibi appropriare, & de eo viuere tangunt. Anton. Franc. in addit. ad Panor. in fin. & Fel. nu. 26. in cap. cum M. Ferrariensis de constitut. quod per Sacri Conc. Trid. congregationem indistincte diffinitum est ut quicquid fuerit moniali a parentibus donatum, relictum, vel eius labore, & artificio questum, omne assignari debere in manu Abbatis, qua ex eo primum providere debet necessitatibus illius monialis cuius causa illud est questum, sed donatum, & reliquum in communem Monasterij usum esse conferendum, & quod quando moniales victui, & vita sua aliter consulere non possent, nisi sustentetur artificio operum qua manibus elaboraretur, hoc non prohiberi modo debita illarum clausura, & honestas seruetur prout illarum instituta & Sac. Trid. Conc. decreta postulant, responsum est Episcopo Cathania.

Ad hoc autem ut licentia pralati excuset regulares a peccato proprietatis, & qualis licentia sit sufficiens, vel necessaria reperies in praealleg. Doctoribus quibus visum est addere sequentia, & Primum quod si superior concesserit monacho usum seu detentionem alicuius rei, potest hanc licentiam semper ad libitum reuocare, adeo quod si ipse Religiosus negaret reddere superiori semel concessum, vel non esset animo parato ad resignandum ipsi superiori quotiescunque voluerit, esset in peccato mortali, & esset casus reseruat quod amplio ut non possit monachus etiam ante monachatum conuenire, ut liceat sibi habere usum fructum rerum suarum ita ut in futurum possit detinere inuito Abbate. Panor. in conf. 88. par. 1. nu. 3. ratione ut ibi per eum limito in licentia perpetua que valere cum confirmatione, & assensu Sedis Apostolicae idem Panor. in cap. nisi sessent circa finem de prae. ad quae faciunt dicta per Nau. conf. 20. de regul. in antiq.

Secundum, quod si regularis dono aliqua acciperet vel a conseruatorio bonorum caperet vestes calceos, & similia sine licentia superioris, licet fecerit contra votum & regulam, nec tamen esset proprietarius si ea detineret tanquam dependentia a voluntate pralati in loco patenti.

Sequuntur declarationes Sacrae Congregationis.

Quaeritur primo, An ex dispensatione inferiorum Summo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia videlicet, & mobilia superflua, non obstante decreto Concilii sess. 25. de Regular. cap. 2.

2 An

- 2 An propter talem dispensationem, seu sciētiā superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua a culpa, vel a pœna excusentur?
- 3 An superioribus asseuerantibus huiusmodi se licentias posse concedere fides adhibenda sit.
- 4 An superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quo ad mobilia superfluitatem, & conuenientiam?
- 5 An superiore quantumvis requisito necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsi clam, vel inuito eo illa sibi comparere, seu retinere.
- 6 Et quatenus liceat, an itidem liceat, cum necessaria ideo negantur, uel subtrahuntur, quia Monasterii facultates non suppetunt?
- 7 An dicti superiores regulares dictum capit. 2. declarare, & interpretare possint?

Ad primum Congregatio Concilii respondit non licere.

Ad 2. non excusari neque a culpa, neque a pœna ipso facto incurrenda.

Ad 3. Minime adhibendam.

Ad 4. Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione personæ, officii, & regulæ, statusque paupertatis, quam professi sunt, & ceterarum itidem qualitatum.

Ad 5. Non licere.

Ad 6. Licere si præfisa necessitas sit ad indiuidui sustentationem, ceterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, usque adeo, ut si quid priuatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad superiorē recte deferri oporteat, qui ex eo primum succurrat eius necessitati, cuius intuitu illud obuenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem præematur, relinquitur conueniunt in corporetur, & in communem cedat utilitatem.

Ad 7. Non posse.

Hier. Card. Matthæius.

Locus Sigilli.

In Aliquibus Monasteriis monialium reperiuntur nonnullæ moniales, quæ census, & annuos quosdam redditus & prouentus, seu fructus percipiunt sub diuersis contractuum speciebus. Nam.

Aliquæ in ipsarum persona emerunt certos redditus a personis laicis.

Aliquæ ab aliis monialibus.

Aliquæ ab ipsis Monasteriis.

Aliæ vero dederunt pecuniam monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine monasterii ad rationem septem, vel octo pro centenariis, & Abbatissæ dabant dictis monialibus illos redditus, quos ex dictis emptioibus exigebant singulis annis.

Aliquæ Monasteriis, seu eorum superioribus certas pecuniarum Summas manualiter pro monasterii indigentis dederunt, pacto actiecto, uel etiam tacita conuentione adhibita, ut monasterium, seu Abbatissæ certos redditus ad rationem tot pro centenariis earum vita durante concedat.

Quæritur, An in huiusmodi casibus liceat Monialibus dictos redditus, fructus, & prouentus percipere absque incurfu proprietatis, vel potius tanquam proprietariæ incurant in pœnas per Conc. Trid. sess. 25. capit. 2. de Regularibus,

N 2 laribus,

laribus, in proprietarios inflctas, etiam si de licentia Abbatis, & ad Abbatis nutum, vel Conuentus, seu Monasterii nomine percipiant.

Congregatio Concilij censuit in nullo supradictorum casuum licere Monialibus dictos fructus, seu redditus percipere, & si perceperit incidere in pœnas propositas decreto, d. capit. 2. sess. 25. de regul. neque ab huiusmodi penis excusari ob licentiam Abbatis, quæ etiam dicti Concilij decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet pro suo munere ex Monasterij redditibus, vel elemosynis, Monialium necessitatibus in die subuenire.

Hier. Card. Matthæius.

Locus Sigilli.

Quo modo possit monachus habere ius testandi vide Couar. in capit. 2. num. 10. de testam. item qualiter in hoc circa aliquid se gerere possit absque nota proprietatis nec faciendo contra votum paupertatis. vide Nauar. in d. cap. non dicitur, sub num. 22. & in man. cap. 27. num. 270. quod tanquam quotidianum est notatu dignum.

Postremo aduertant Regulares propter sanctam obseruantiam voti paupertatis id quod Card. Zab. in cons. 17. num. 5. asserit, nempe religiosum nec habere dominium pannorum quos in dorso defert ita vt dicere nequeat hac vestis est mea ad instar serui, l. id vestimentum. ff. de pecul. item quod post professionem non habent neque velle, neque nolle, cap. fin. de testam. in 6. & cap. fin. de sepult. eod. lib. quæ monitio dirigatur ad illos in quibus (quod abnt) hac sancta obseruantia non vigeret informantes conscientias suas largas ex proprio sensu, & qualiter regularis posset restituere ordini suo damna quæ per peccatum proprietatis intulit, recurrat ad modos descriptos per Nauar. in tract. de reit. eccles. monit. 20. q. 2.

7 Quo ad quintum. Ex eius verbis inferitur secus esse in iuramento falso a religioso facto extra iudicium vt non sit casus reservatus, sed locum quando iuridice interrogatus falsum deponeret in iudicio regulari. scilicet coram iudice vel prælato eiusdem ordinis & religionis, vel legitimo scilicet quoties examinaretur a Nuncio, Episcopo, seu quolibet alio delegato, hocque locum habet siue fuerit examinatus tanquam principalis, siue tanquam testis atque etiam siue falsum asseruerit, siue veritatem negauerit iux. tex. in cap. 1. §. 1. de crim. fal.

8 Quo ad septimum. Quamuis ad esse falsificationis + vt sit punibilis, tria debeant concurrere de quibus per Syluest. & alios Sumistas in verb. Falsarius, tamē ad incurrendum casum reservatum sufficit scilicet quod sit mutatio veritatis, & quod fiat cum dolo. i. animo inferendi damnum licet non sequatur iactura.

9 *Vide* Circa octauum ad determinandam quantitatem + quæ satis sit ad effectum constituendi culpam mortalem in aliquo furto licet etiam non desint qui asserant quantitatem furti quæ vere inducat mortale crimen debere per fari ad arbitrium boni, & discreti viri iuxta propositas qualitates in contingenti specie tamen in expositione huius decreti Pater Mattus Andria diffiniuit, nepe furtum mortale esse quocumque quantitas rei subreptæ pertingerit ad summam duorum Juliorum, seu Carole.

carolenorū samens regulam in attendēdo valorem, seu estimationem mercedis diurnæ cuiusque operam circa victum vnius diei in homine, qui hodie communiter considerari potest quantitas duorum argenteorum, vel trium ad summum, & non soluere mercedem operatio pauperi esset ei notabile damnum inferre, eo quod esset auferre victum quotidianum, cum ex illo denario diurno victum sustentet Deuteron. c. 24. & sic peccatum mortale induceretur: qui enim negat victum interficit. l. necare. ff. de lib. agnosc. Nec obstat ordinaria illa obiectio quæ in hac materia fieri solet. s. valorem duorum argenteorum videri potius modicam quantitatem quam notabilem, idque probatur quia iurisconsultus in l. si oleum. §. fin. iuncta l. seq. ff. de dolo declarauit modicam quantitatem illa esse quæ non excedit summam duorum aureorum, & quod de modicis non sit curandum, est tex. in l. scio. ff. de restit. in integ. & absurdum videri quod anima condemnaretur penis inferni pro re tam modica scilicet duorum carolenorum, nam respondeo prædicta procedere in foro exteriori scilicet quod pro modica summa a iure ciuili quis non puniatur eo quod deneget actionem doli, & non per hoc sequitur id licitum esse in foro interiori, in quo attenditur lex naturalis, ne quis locupletetur cum aliena iactura in hac natura. ff. de condict. in deb. cum diuersum sit ius exterius a foro conscientie, vt late habetur per Panorm. in cap. quia plerique, de immunit. eccles. Nauar. in c. nouit. notab. 6. nu. 79. de iudic. & insuper quemadmodum absurdum esset condemnare animam pro valore duorum argenteorum, ita etiam dici posset pro maiori summa, cū anima sit cunctis rebus prætiosior l. sancimus C. de episc. & cler. & sic daretur progressus in infinitum, adeo quod oppositio de absurdo euitando non vrget.

An autem hæc conclusio procedat non solum quando religiosus prædictam quantitatem caperet vntea vice, sed et separatim, & pluribus vicib. adeo quod omnia illa exigua, & parua furti simul coniuncta conflarent, seu efficerent quantitatem notabilem duorum argenteorum. Respondeo, quod quamuis opinio communiter recepta se habeat in affirmatiuam partem. s. quod eo ipso, & vt primum peruentum fuerit ad illam summam peccatum mortale comittatur ratione detentionis cum obligatione restituendi sicuti post alios exprimit Couar. lib. 1. variar. resol. c. 3. sub nu. 12. Nauar. in man. c. 17. num. 139. quam etiam sectatus fuit prædictus P. Marius Andria non habita distinctione an interuenerit animus perueniendi ad illam summam, an non, reperi nuper eundem Nauar. in solenni conf. 75. de regular. in antiq. nu. 27. & conf. 3. de statu. mona. in nouis non negantem hanc opinionem esse probabilem, & comunem, & asserētē contrariā veriorē esse dum modo ipse religiosus nō intenderit expresse, vel virtualiter in aliqua illarū virium nocere in pluriquam tunc furabatur, & ad hunc animū præsumendum multum facere an in capiendis illis minutis habuerit memoriam prioris furti, vel posterioris faciendi, subdens quod talis animus fuisse præsumitur in foro hominis, non autem in foro Dei, quod sola nititur veritate cap. multi. 2. q. 7.

Esset etiam furtum mortale, & casus reservatus cum obligatione restituendi in religioso qui furriperet re sacram licet pretio nummario nō æstimatur, vt sunt reliquia & huiusmodi. Et idem si furriperet aliqua rescripta seu aliud, quod esset æstimabile singulari pretio, & interesse affectionis, quæ res tāta valet, quāti ab eo æstimatur quod hæretic. l. vnic. C. de sent. q. pro eo quod interest proferunt. si vero religiosus clā furriperet, & consumeret res comestibiles ex locis publicis nempe ex officinis conuentus, quæ sunt expositæ periculo probabili posset excusari, vt non sit casus reservatus, tamen cauendum est. Domin. Bannes in D. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 6.

Diceretur etiam religiosus furtum committere & esset casus reservatus, quoties ex pecunia quam accepit a suo superiore pro viatico, id quod superesset non restitueret ipsi superiori, sine cuius licentia non potest de eo, quod superfuit, disponere ultra summam duorum Iuliorum, etiam si consumeret in faciendo elemosynam, & licet Religiosus in itinere possit facere elemosynam ut inquit gloss. in clem. 2. de vita & honest. cleric. illud intelligendum est cum tacita licentia superioris Div. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 8. vel quod possit erogare constitutis in extrema necessitate Card. in d. clem. 2. vers. sed & tales. q. 4. & ratio per Navar. assignatur in d. c. non dicatis, nu. 28.

- 10 Circa non unum sciendum per lapsum carnis ꝑ comprehendi omnes species peccati carnalis de quibus per D. Tho. 2. 2. q. 154. per plures articulos adeo, ut peccatum propriæ mollicitiæ, seu voluntariæ pollutionis etiam sine vlla commixtione tertiæ personæ opere consummatum, sit casus reservatus, & quando per Capitulum generale, seu provinciale iuxta potestatem a Summo Pontifice sibi traditam ad præsentem non unum casum superadderentur hæc verba, videlicet, (& quicquid est contra votum Castitatis quod in actum externum prodeat) tunc si solum intercesserint prouocatio, seu sollicitatio ad turpia, oscula tactus, seu amplexus impudici siue in propria siue in aliena persona, essent etiam casus reservati, alias non.
- 11 Quo ad decimum. Ad cognoscendum ꝑ quando dicatur percussio grauis, seu enormis, mediocris, uel leuis, & cuius arbitrio hoc relinquatur præter Doct. in c. peruenit, & in c. cum illorum, de sent. excom. vide Navar. in man. c. 27. num. 91. & seq. & infra in uerbo excommunicatorum absolutio. Amplia in religioso qui uerberaret etiam Nouitium primi diei ut sit excommunicatus: cap. religioso, §. 1. de sent. exc. lib. 6. & sit etiã casus reservatus; limita in percussione graui, quæ per regularem facta fuisset in termino iustæ defensionis seruatõ moderamine inculpatae tutelæ, quod quale debeat esse, & quãdo in defensione adfuisse dicendum sit, vide constit. Regni incip. Pacis cultum, Aretin. in tract. de malefic. in uerbo & de casu Titius se defendendo. Syluestr. in uer. Bellum 2. Navar. in man. confess. c. 15. nu. 3. & in quibus consistere habeat Boer. decis. 168. nu. 4. & infra, Mascard. de probat. conclus. 1126. a nu. 29. vsque in finem, & quando quis dicatur excessisse limites defensionis Menoch. de arbitr. iudic. libro 2. Cen. 3. casu 277. & quando non imputeretur excessus, ut eo non obstante dici possit fuisse seruatõ hoc moderamine gl. in c. significasti. uerb. moderamine, de homicid. Foller. in pract. crimin. rubr. recipiantur defensiones, num. 16. & in fragment. par. num. 57. & 58. denique de hac defensione late habetur per Anchar. in capit. dilecto. de sent. excom. lib. 6.

Circa undecimum & vltimum. Quibus rationibus prohibeatur literas alias quæ clausæ sunt, aperiri, vide per Navar. in c. Sacerdos num. 10. & seq. de panit. dist. 6. quem refert Menoch. de arbitr. iud. casu 311. num. 12. Cen. 4. & de pœna aperientis literas alijs destinatas præter Bar. in l. Titio ff. ad municip. & Iason. in l. non dubium. num. 53. C. de legib. vide Abb. Felin. & alios in c. cum olim. el. 2. de off. deleg. quibus ad materiam adde Syluestr. & alios Summistas in uerbo falsarius. D. Anton. part. 2. tit. 1. c. 22. §. 5. in fine Navar. in ma. c. 18. nu. 53. & late Menoch. de arbitr. iud. cen. 6. casu 538. ꝑ Vt autem religiosi propter impedimentum retardationem, & apertionem literarum incurrant casum reservatum necesse est quod manifeste sit peccatum mortale, esset enim tale si eo animo aperiantur, ut nocumentum notabile proximo inferatur. Secundo si illud eueniret etiam sine talibus intentione. Tertio eas proditorie scribentis aduersario ostendendo.

Non

Non esset mortale in manifesto inimico mittentis, vel illius cui mittuntur iuste timentem per illas aliquod damnum sibi parati, vel dubitante ne aliquid in illis contra eum tracteretur. Secundo in referante ac illas bono fine impediente. scilicet ad precauendum aliquod malum iniustum alteri per illas probabiliter illaturum. Tertio quando communiter tangerent ipsum, & tertium ei illas manifestando. Quarto non esset etiam mortale a perire literas, quæ non sunt alicuius momenti, neque continerent materiam grauem, sed leuem, an autem sit res leuis vel grauis facile dignosci potest, & rem grauem efficere posset illa perturbatio qua pars afficeretur dum id contra eius voluntatem fieret, vt tenuit præd. P. Marius Andria in explicatione huius casus, secus si id fieret ex consensu præsumpto mittentis, vel bona fide spem ponendo in tali habitatione, eius cui mittuntur. Quinto, vt non incidat in casum reseruatum religiosus malitiose frangens solum illam chartulam, cum qua literæ clauduntur, vel sigillum auferens, non tamen illas legens, quia literæ non dicuntur aperte si sola ligatura sit desoluta, nisi etiam fuerint lectæ cum finis in penalis in quibus debet fieri stricta interpretatio Bar. in l. si quis, in graui, §. si quis tabulas. ff. de Senatus. Syllan. Felyn. in d. c. cum olim. Denique ceteris omissis qui per Summistas suppleuntur, non esset mortale in persona legitimam ad id faciendum potestatem habente, vt in prælato seu præfecto ipsorum Regularium cui publica lege id licet, & tunc iure suo vtatur c. non dicatis. 12. q. 1. Naua. in d. c. sacerdos. nu. 19. Summistæ loc. cit. hinc est quod de laudabili, & communi Religiosorum obseruantia missio, & acceptio literarum ipsis prohibetur sine superioris licentia, quod vltimum limitatur non procedere in literis necessariis, & vtilibus monasterio, quas iuridice possent ipsi regulares sine superioris voluntate dare, vel accipere, quales essent illæ quibus Regularis denunciaret delicta ipsius superioris arg. tex. in c. ex parte. de accus. vel literas a Papa impetratas super hoc acciperet. Inn. communiter receptus in c. cum l. & A. sub nu. 4. de sen. & re iud. Nau. in d. c. non dicatis, in 4. notab. in fine, & in cons. 33. nu. 4. de sen. excom. in antiq. qualiter vero puniatur clericus literas aliis directas aperiens, & aduersariis ostendens, adde Diaz. in præf. crim. can. c. 103.

Dantur tamen aliqui casus, in quibus Regularis habens casum reseruatum, potest absolui ab alio, quam a suo Superiore, indirecte vero, & cum obligatione, ut quam primum commode poterit presentet se Superiori a quo directe absoluitur, prout clare, & ad rem declarat hanc materiam Henricus Henriquez in sum. lib. 3. de pæn. c. 15. illud idem asserens eod. c. num. 3. in superiore monasterii, vt possit absolui ab inferiori cum prædicto onere se presentandi.

Quæ breuiter annotasse sufficiant quo ad casus reseruatos tangerentes personas religiosorum, ¶ quantum vero ad ipsos Confessarios tam regulares quam seculares priuilegiatos circa absolutionem a reseruatis, sciendum est eorum facultatem fuisse reuocata tam, & moderatam per vniuersam Italiam tantum, vt sequitur.

Declaratio Decreti, quo prohibetur absolutio a casibus reseruatis.

EDitum fuit alias a Sacra Congregatione S. R. E. Cardinalium, negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, Decretum super absolutione a casibus reseruatis eius, qui sequitur, tenoris.

Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita iustis, & grauibus causis id exigentibus, ac de S. Etissimi

Eliffimi D. N. Clementis Papæ viij. speciali mandato, viua vocis oraculo de super habito, Sacerdotibus omnibus tam Sacularibus, quam Regularibus per vniuersam Italiam extra Urbem de gentibus ad confessiones audiendas probatis quorumuis ordinum etiam Mendicantium, Militiarum, aut Congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quancunque aliarum, quouis nomine nuncupentur, iubet, & precipit, ne quis eorum, sub pretextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum generaliter, vel specificè scripto, aut viua vocis oraculo, vel per communicationem a Sede Apostolica, vel eius auctoritate eorum Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus aut Archicōfraternitatibus secularium aut singularibus personis, seu alias quomodocunque sub quibusuis tenoribus formis, & clausulis, etiā derogatoriarum derogatorijs, ad cuiusuis etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum instantiam concessarum, seu confirmatarum, alicui cuiusuis Status, gradus, & conditionis, aut dignitatis, tam ecclesiastica, quam secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis, ab vilo ex casibus clare, vel dubie in Bulla die Cene Domini legi solita, contentis, vel alias quomodocunque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum & per Sanctitatem suam, eiusque Successores pro tempore in eodem Bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam a Casibus, quos Ordinarij locorum hactenus reseruauerunt, vel in posterum sibi reseruabunt, nullo casu etiam necessitatis vel impedimenti, nisi in mortis articulo seu cum noua, vel speciali Sanctitatis suæ, aut successorum suorum, vel ordinariorum quo ad casus ab ipsis tantum reseruatos, respectiue, impetrata in scriptis licentia, Ordinarij locorum exhibenda, absolutionis beneficium de cetero impendere audeat, vel presumat sed cum opus fuerit, penitentes ad superiores legitimosque Iudices, suo accedere consulari; sub pœna contrafacientibus tam regularibus, quam Sacularibus excommunicationis priuationis officiorum, & dignitatum, aut beneficiorum, inhabilitatis item audiendi confessiones, & quacunque officia, proutas, beneficia in posterum obtinenda, ipso facto, absque vlla alia declaratione incurrenda: super quibus a nemine nisi a Romano Pontifice habitatio, dispensatio, aut absolutio, præterquam in mortis articulo, possit impartiri; Sanctitas enim sua (quatenus opus sit) facultates, & concessiones ipsas in hac parte vti cassas, & irritas haberi de cetero voluit, & vult, non obstantibus quibuscunque.

Præterea nouerint penitentes, absolutionem si quam obtinebunt contra huiusmodi prohibitionem esse nulliusque reboris, vel momenti.

Et ne locorum ordinarij, quibus ius hoc reseruandorum casuum competit, plurius, quam opus sit, reseruatione, subditis, aut confessarij in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, monentur omnes, vt paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusuis Diœcesis statu, & qualitate necessario reseruandos esse iudicauerint, reseruent. In quorum fidem, & c. Romæ die 9. mensis Ianuarii Anni 1601.

CUm autem dubia quædam ac difficultates circa eiusdem decreti interpretationem, atque obseruationem emerfissent, eadem congregatio, ne vltus deinceps obscuritati, scrupulo, ambiguitatiue locus relinquatur, & vt clarius appareat, in quibus casibus vigore eiusdem Decreti reseruatis, intelligatur prohibita absolutio, speciali mandato eiusdem S. D. N. Clementis Papæ viij. similiter viua vocis oraculo super ea habito, ipsum Decretum ita modrauit, ac declarat, videlicet sub eiusdem prohibitione illos tantum in posterum cōprehendicassus, qui in Bulla die Cene Domini legi cōsueca cōtinētur. Ac præterea Violationis
immuni-

immunitatis ecclesiastica in terminis Constitutionis felic. rec. Greg. xiiii. qua incipit: Cum alias nonnulli. Violationis clausura monialium ad malum finem. Pro uocantium & pugnantium in duello iuxta Decretum Sacri Concilii Tridentini, & Constitutione fel. rec. Gregorii Papae xiiii. incipientem, Ad tollendum. Inuicentium violentas manus in clericos, iuxta Canonem, Si quis suadente, &c. 17. q. 4. ac iuris dispositionem. Simonia realis scienter contracta, atque etiam confidentiae beneficalis. Item omnes casus, quos ordinarii locorum sibi reseruarunt, uel in posterum reseruabunt. In quibus omnibus iam enumeratis casibus duntaxat, & sublata etiam poena inhabilitatis audiendi confessiones eadem Sacra Congregatio uult, & mandat, dictum Decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere: Ac praeterea declarat eos quidem sacerdotes tam seculares, quam Regulares, qui aliquo ex priuilegiis, indultis, & facultatibus in supradicto Decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates, usu ante idem Decretum, receptas, & quae sub aliis reuocationibus non comprehenduntur, tantum, & non alias absoluere a casibus in praesenti declaratione non comprehensis: aliis uero sacerdotibus huiusmodi, priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi. Sed ne locorum ordinarii, ad quos casuum reseruatio spectat, ea in re modum excedant, eadem Sacra Congregatio illos rursus magnopere admonendos censet, ut non passim, sed cum id videbitur communi bono expedire, atrociorum tantum, & grauiorum criminum absolutionem sibi reseruent, quorum reseruatio ad Christianam disciplinam, retinendam conferat in adificationem, non autem in destructionem cedat: ne alioquin Sacra mentis penitentiae Ministrorum contractata potestate, Sanctae Matris Ecclesiae pia menti contrarius effectus subsequatur. Prohibet etiam, ne sibi superflue reseruent casus in Bulla die Carinae Domini legi consueti, & contentos, neque alios. Sedi Apostolicae specialiter reseruos, Facultatem uero, & licentiam absoluendi a casibus reseruatis quam in scriptis tantum concedi permittebatur, etiam sola uia uoce concedi posse declarat. Ceterum ne quis sacerdotum secularium, aut Regularium, sub praetextu, & per primo dictum Decretum non fuerit sufficienter, eorum specialibus priuilegiis derogatum eidem Decreto sic, ut praefertur declarato, contrauenire audeat, Sanctitas sua Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis omnibus, in fauorem quorumcumque ordinum seu institutorum Regularium, aut Sacerdotum tam secularium, quam regularium editis, nec non eorundem ordinum, seu institutorum, ac etiam Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum secularium, seu Regularum locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis, quoque indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis eisdem ordinibus, seu institutis, ac etiam Ecclesiis, & Monasteriis, & secularibus, seu Regularibus locis, aut personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis Decretis etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per uiam communicationis, seu extensionis concessis, ac etiam iteratis uicibus approbatis, & in nouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de uerbo ad uerbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quauis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de uerbo ad uerbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti,

ferti forent, presentibus pro expressis habens, quo ad ea, quæ presentibus aduersantur, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogat, contrariis quibuscumque nõ obstantibus. Romæ die 26. Nouembris 1602.

Alex. Card. Floren. Episc. Prænestinus.

Hier. Agucchius Secret.

SEquuntur literæ Sacræ Congregationis ad Dominum Cardinalem, & Archiepiscopum Neap. Illustrissime, & Reuerendissime Domine. Accipiet Illustrissima Amplitudo vestra vna cum hisce literis exemplum Declarationis, quam Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium, negotijs & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, de expresso Sanctissimi Domini nostri mandato nuper edidit super Decreto de prohibita a solutione casibus reservatis die 9. Ianuarij 1601. promulgato, quod in suis Diocesisbus Ostiensi & Neapolitana publicandum, ac studiose obseruandum diligenter curabit. Cum autem locorum ordinarii magna ex parte indicem, seu notam singulorum casuum a se reservatorum huc miserint, compertum est in hoc genere varie quid a variis admissum fuisse, quod aliqua emendatione indigeret, quosdam nimirum quædam referuasse, quæ iam Apostolica Sedes sibi referuaret, alios alia, quæ minime expediebat, nonnullos vero in ea re modum excessisse, vt nullum fere superesset peccatum, quod non sibi vendicaret indifferens illa seruandi ratio, quæ (vt necesse erat) res pleraque leuis momenti, & alioquin Conc. Trident. aliorumque sacrorum Canonum sententiæ parum congruentes, complectebatur; Verum quia nondum satis huc explorata erat cuiusque loci conditio, ac necessitas, non potuit unicuique reservationum huiusmodi sigillatim modus ac temperamentum, quod res posebat, adhiberi. Nec sane debuit vna eademque regula omnibus ecclesijs præscribi, quandoquidæ alia alibi magis conuenire certum est, & fieri vix potest, vt omnia omnibus in locis æque probentur, & profit. Quæ cum ita sint, visum est eidem Sac. Congregationi præter illam declarationem, priuatas quoque literas ad singulos ordinarios mittere quibus moueant, vt simul ac eas acceperint omnes casus sibi iam olim reservatos, adhibitis aliquibus pietate, & doctrina præstantibus viris, de integro discutiant, diligenterque examinent, & ad ipsius Decreti iam declarati normam accommodent, eorum multitudinem hæc ressecantes, vt ad quam paucissimos, eosque maxime necessarios redigantur iidem casus, unde salutaris ille sequatur effectus, cuius causa hæc reservandi atrociores quosdam casus Episcopis in sua cuiusque diocesi tributa est auctoritas.

Præcipue vero hæc monenda censet Sac. Congregatio, vt videant ipsi ordinarii ne illos casus promiscue referuent, quibus annexa est excommunicatio maior a iure imposita, cuius absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequentem, scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui huiusmodi casus nominatim referuandi viderentur, neque casus, in quibus absolutio nisi cum restitutione, vel executione eorum, ad quæ penitentes tenentur, non confertur, neque illos, qui et si mortale peccatum inducunt, circa res tamen parui momenti versantur, & frequenter inter idiotas euenire solent, vt dampni dati, & similia. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa vitantur circumspectione, propter periculum scandalorum, in iis maxime

maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eā potissimum incant, ac sequantur rationem, quæ consideratis diligenter cuiusque Prouinciæ, ac populorum moribus, natura, ac propensione magis in domino expedire videbitur. Postquam autem ab ijs peracta, descriptaque fuerit hæc moderatio, vnusquisque eam primo quoque tempore ad me perferendam curet, addita insuper causa, quæ cuiusque casus reservationem potissimum suaserit. Hoc. n. S. D. nostro deliberatum est, vt perfecte tandem, adiutrice Dei gratia, opportunum iis incommodis remedium adhibeatur. Interim de ipsius Sanctitatis suæ mandato idem ordinarii monentur, vt per totam suam Dioccesim, ac præsertim iis locis qui a ciuitate & Cathedrali Sede longius remoti sunt, Pœnitentarios, aliosque Sacerdotes constituent, ac delegent, quibus facultatem absoluendi a casibus sibi reservatis, concedant, ita vt his quoque liceat eandem alijs Confessariis si opus sit etiam viva voce impartiri: Idque maxime in solennioribus, & præcipuis anni festiuitatibus, vt peccatores, quibus obuia, & facilis fuerit huiusmodi sacerdotū copia ad peragendam confessionem, alliciantur, quia alioquin plerique vel ob id ipsum omittere possent, si necesse haberent pœnitentiæ ministros, quibus indigent, longius quarere. In eam igitur curam quantum in se erit sedulo incumbet Illustris. Amplitudo vestra, vt hæc omnia ex Sanctitatis suæ, & Sacræ Congregationis mente, debita executioni mandentur, ea diligentia, eoque zelo vbique adhibito, quem optimus quisque Pastor erga animarum sibi creditarum salutem præ se ferre debet. Vt autem apud se, successoresque suos, perpetuum extet monumentum, quid hic circa totam hanc reservandi rationem deliberatum sit dabit operam, vt hæc literæ vna cū ipso Decreto, ac Declaratione in publicis suarum Curiarum episcopaliū actis integre describantur. Eas verum cum primum acceperit dignabitur facere nos ea de re certiores, missura postea quantotius fieri poterit, expetitum nouæ reservationis iudicem ex præscripto huiusce mandati confectum. Quæ omnia mandante ipsa Sac. Congregatione ego Illust. Dominationi vestræ scripsi Deum precatus, vt eandem quam diutissime incolumen tueatur. Romæ die 26. Nouemb. 1602. Dignabitur etiam amplitudo vestra Illustris. operam dare, vt prælati inferioris ordinis exēptis, seu nullius Diocesis, si qui sint in sua Prouincia, innotescat Decretum hisce literis inclusum, tum etiam hæc reliqua, quæ ei scribuntur super casuum reservationem.

Illustris. & Reuerendis. Dominationis vestre:

humillimus seruus:

Alex. Card. Floren.

Ex prædictis summarium distincte recolligendo habes quod Sanctissimus D. N. derogando omnibus priuilegiis amplissime Prohibet quibuscunque confessariis secularibus, & regularibus, ne vigore ipsorum priuilegiorum

Absoluant in casibus contentis in Bulla die Cane clare vel dubie.

Violationis immunitatis ecclesiæ in terminis Const. Greg. 14.

Violationis clausuræ Monialium ad malum finem.

Prouoca-

Prouocantium, & pugnantium in duello in terminis Concilii, & Constitutionis Gregorij 13.

Inijcientium manus violentas in clericos iuxta cap. si quis suadente. ac iuris dispositione.

Simonie realis scienter contracte.

Confidentie beneficalis.

Et in omnibus casibus quos locorum ordinarij sibi haecenus reseruarunt, aut reseruabunt.

Etiam in casu necessitatis, & impediementi.

Nisi mortis articulo, vel

Habeant licentiam nouam specialem a Sede Apost. vel ab

Ordinarijs in scriptis, vel in viva voce.

In alijs casibus, qui habent priuilegia poterunt iuxta d. priuilegia, & facultates absolue Dummodo ante decretum essent usu recepta, vel non reuocata.

Qui non habent, nihil de nouo eis conceditur.

Pena quo ad Confitentes

Nullitas absolutionis.

Quo ad Confessarios excommunicationis

pruinationis officiorum dignitatum, Beneficiorum.

Inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda.

Et ipso facto incurruunt absq; ulla declaratione.

Et a nullo dispensari, habilitari, vel absolui possunt, nisi a Sede Apost. praterquam in mortis articulo.

Aderat etiam pena inhabilitatis audiendi Confessiones, sed hodie est sublata.

Quod Ordinarij.

NON reseruent casus contentos in Bulla Cene Domini.

Non specialiter reseruatos Sedi Apost.

Non promiscue eos, quibus annexa est excommunicatio maior a iure imposita, cuius absolutio nemini est reseruata Nisi iudicauerint aliquos nominatim reseruandos, propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam.

Non eos in quibus non datur absolutio, nisi facta restitutione, vel executione.

Non eos in quibus licet adsit peccatum, mortale, tamen versantur circa res parui momenti, & qua frequente reuenire solent inter idiotas.

} *ut damni dati, & similia.*

Non in Carnalibus, ubi adest periculum scandalorum, vel ubi cadere potest aliquid suspicionis propter frequentem reditum ad Ordinarios.

Non passim, modum excedendo.

Refer-

Referuent.

Paucos, refecando multitudinem.

Quam paucissimos, eosque maxime necessarios.

Atrociorum tantum, & grauiorum criminum.

Quos iudicauerint necessario referuandos, ad retinendam disciplinam in edificationem non in destructionem Ad animarum salutem.

Vt non sequatur effectus contrarius pie menti Sanctae matris Ecclesiae.

Quos expedire iudicauerint considerata diligenter cuiusque prouinciae, & populorum moribus, Natura, propensione, pro cuiusque Diocesis statu, & qualitate.

Aliquos nominatim in quibus de iure est imposita excommunicatio propter frequentiam scandalum, aut aliam necessariam causam.

Postremo animaduertendum id quod passim asseritur, scilicet per obitum episcopi casuum referuationem cessare, intelligi debere de casibus, quos ipse episcopus sibi referuauerit, sicuti communiter solent episcopi uti his verbis scilicet nobis referuamus, quia cum sint lati ab homine ipso sublato & ipsi extinguuntur; secus vero de casibus a iure episcopo referuati, de quibus per Syluestr. in verbo Casus, sub num. 3. quia tunc per eius mortem non expirant, & erit facienda absolutio a successore, vel a Capitulo Sede Vacante. succedente in eius iurisdictione, & illud idem affirmandum, quoties casuum referuatio esset facta ab episcopo uiuente per modum statuti, seu perpetuae constitutionis, veluti decernendo, quod absolutio ab eis fieri non possit, nisi a nobis vel episcopo qui, pro tempore fuerit, vel referuando Curiae seu sedi episcopali, tunc enim non expirat nisi fuerit facta reuocatio a Successore, vel a Capitulo Sede Vacante, ut infra dicitur, ad qua faciunt tex. in cap. fin. de offic. lega. in c. 2. §. statuto de constit. in 6. & dicta per Nauar. in man. cap. 27. num. 2. & sub num. 74.

CONCEPTIO BEATAE MARIAE.

PRÆTER Summissus sciendum est, quod ultra ea quae habentur in Constitutione Sixti 4. relata in extrauag. commu. de reliqui. & vene. Sancto. & in Sac. Conc. Trid. sess. 6. in princip. §. vlt. adest constitutio Pii 5. fol. 1100. in Bullario Romae publicata die 7. Decembris 1570. ne in popularibus concionibus disputetur de Conceptione Gloriosa Dei genitricis MARIAE, qua & innouantur quae per fel. rec. Sixtum Papam 4. & Sac. Conc. Trid. statuta fuerunt incip. Super specula, & infra, & cet. & est tenoris sequentis.

Cōgru-
it. titu.
de re-
liq. &
vene.
San.